

Peter Wasmund Albert Hein

Theses Iuridicae De Successione Ab Intestato in allodialibus

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73151999X>

Druck Freier  Zugang



~~Heft~~

Nachfolge ohne Nennung im
Testament

P. Wasmandt (Ms. Hein)

R. U. im 1626.

31.
THESES JURIDICÆ
DE
SUCCESSIONE
AB INTESTATO

in allodialibus,

Quas

A. S. S. T.

*Consensu & auctoritate Amplissimi Felorum
ordinis in alma Rostochiana,*

PRÆSIDE

*VIRO AMPLISSIMO, SPECTABILI
ET CONSULTISSIMO,*

DN. PETRO WASMUNDT,

Jcto celeberrimo, & Inclutæ Facultatis Juridicæ p. t.
DECANO, Præceptore ac Fautore suo plurimum honorando,

**Pro consequendis summis in utroq; jure
privilegijs & honoribus,**

ad diem 3. Augusti,

Publicè ventilandas proponit

ALBERTUS HEIN

Rostoch.



ROSTOCHI

Typis exscripsit JOACHIMUS PEDANUS Acad, Typog.

ANNO c1s 1sc XXVI.

46 26

VIRO
AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,
DN. ALBERTO HEIN,
JCTO,

*Reverendissimi & Illustrissimi Principis
ac Domini,*

DN. JOHANNIS ALBERTI
Ducis Megapolitani, Coadjutoris Episco-
pæ Ratzeburgensis, Principis Vandalorum, Comitis
Svverinensium, terrarum Rostochij & Stargar-
diæ Domini, Domini sui clemen-
tissimi,


Confiliario fidelissimo, & in alma Rosto-
chiana Seniori & Antecessori emerito, Domino
Parenti suo omni filialis observantiæ cul-
tu honorando,

*banc inauguralem disputationem
filialiter offert*

ALBERTUS Hein.



97



Successionis ab Intestato materiam disputatione explicaturi, non tam quid olim antiquitatis, quam quid hodiè observantiæ sit, attendemus. Etsi enim Imperator Justinianus nihil antiquitatis penitus ignorari velit §. 1. *Inst. de testam.* compluribus tamen etiam in locis idem dissuadet scrupulositati juris antiqui longius immorari. Paucis igitur & brevibus eam per certas regulas explicabimus, & ommissis alijs, id quod hodiè in ipsis rerum obtinet argumentis videbimus, præmissis saltem prius quibusdam veluti præcognitis.

II. Et cum hanc materiam explicare velimus, ante omnia videndum prius erit, quid sit successio, & quis dicatur Intestatus. Est autem successio ab intestato, adquisitio hereditatis, non iudicio defuncti, sed jure Civili aut Prætorio, ut eam definit *Guilielmus Rancchinus in tract. de successione ab intest. §. 1. n. 1.* vel definiente Forstero *lib. 1. de successione. cap. 2. n. 4.* jus acquirendæ hereditatis vel bonorum possessionis jure civili & prætorio introductum. Intestatus verò est, qui aut omninò testamentum non fecit, vel quod fecit, non jure fecit, aut ruptum irritumve factum est, *in pr. Inst. b. 1.* Item si testamentum quidem fecit, heres tamen nolit esse heres, vel ante testatorem aut aditam hereditatem vita defungatur, aut conditione sub qua institutus est, defectus sit, §. *Posteriore 2. Inst. quibus mod. testamenta infirmantur.* Ut ita intestati dicantur, vel Propriè, qui testamentum, cum possent, non fecerunt, vel Non Impropiè, ex quorum testamento heres non exstitit, aut quorum testamenta rupta irritave facta sunt; aut Impropiè, qui jure vel facto testari prohibentur, ut furiosus, impubes, prodigus. *l. 1. in pr. ff. de suis & legitimis hered.*

III. His ita intestatis succeditur, vel ex jure communi civili, vel ex jure Prætorio: Ubi tamen sciendum, quod non omnes, qui à prætore bonorum possessionem accipiunt, dicantur succedere jure prætorio, Alioquin omnes omninò successores & legitimi & testamentarij eo jure succederent. Nam ijs omnibus defert prætor bono-

A

bono-

bonorum possessionem, sed ij demum dicuntur succedere jure prætorio, quibus nullo alio jure defertur successio, id est, qui neglecti, destituti ac in medio relictà jure civili, beneficio prætoris ad bonorum possessionem vocantur, *Ranchinus d. §. 1. n. 1. Oldendorp. class. §. act. 6.*

IV. Et cum hæc duo jura, variè varijs temporibus fuerint immutata, ita ut & tædiosum & supervacuum futurum sit prolixiore singularum rerum enumeratione nauseam movere, relictis alijs juris antiqui scrupulositatibus, paucis secundum triplicem ordinem Descendentium, Ascendentium, & ex latere venientium, quid hodierni juris sit pertractabimus.

V. Primus itaq; ordo liberorum est, Horum cum quidam sint spirituales, 2. Naturales & legitimi, 3. Legitimi tantum, 4. Legitimati, 5. Naturales tantum. 6. Spuriij vel vulgo quæsitij. 7. Nati ex coitu incestuoso.

VI. Sciendum est Spirituales parentibus in nihilo succedere. Hi autem duplicis generis sunt 1. enim omnes dicuntur filij Papæ, & omnes Diæcesiani dicuntur filij Episcopi *c. omnes §. c. 30. quest. 1.* Alij sunt quos ex sacro lavacro suscepimus, & hi non succedunt, inquit Panormitanus, quia cum hæc cognatio consistat in spiritu, non debet extendi ad bona temporalia exteriora. Et huic filiorum generi non absimiles sunt ij, quos honoris causa filiorum aut nepotum nomine videmus decorari, quemadmodum Imperator Romanus Ecclesiasticos Electores nepotes appellat, *Heig. quest. 4. n. 62. Arum. discurs. tert. ad A. B. tb. 9.*

VII. Filij naturales & legitimi, itemq; filia primij gradus parentibus suis succedunt simul & æqualiter, exclusis regulariter (quandoq; enim mater vel noverca cum his liberis concurrat, & non excluditur) omnibus ascendentibus & Collateralibus, nullo inter eos, vel emancipationis, vel sexus discrimine admisso.

VIII. Non tamen excludunt legitimatos per subsequens matrimonium, aut curia oblationem, nec etiam excludunt legitimos tantum, per rescriptum verò principis legitimatos excludunt.

IX. Quod si liberorum quidam sint prædefuncti, relictis nepotibus vel pronepotibus, aut etiam ulterioris gradus, tum hi illorum vicès subintrant & succedunt in stirpes.

Ulter

X. Ulterioris dum dixi gradus, id eò pertinet, ut sciamus jus representationis in linea descendenti rectè in infinitum procedere.

XI. Sed hoc quod dicitur thesi 9. quod etiam prædefuncti nepotibus vel pronepotibus competat jus representationis an hoc saltem exaudiendum de nepotibus legitimis, an vero etiam de legitimatis? Putem distinguendum esse inter legitimatos per curiæ oblationem, qui non succedunt *cap. 4. Nov. 89.* & legitimatos per subsequens matrimonium, ut hi succedant, & quidem hi non immerito succedent avo paterno, quippe qui legitimationem approbavit, dum matrimonio consensit.

XII. Quod si quis nullos relinquat in primo gradu liberos, sed quos relinquit, eos omnes forte in secundo aut tertio gradu relinquat, successio nihilo fiet minus in stirpes, nam propter jus representationis, quod in recta linea descendenti in infinitum usq; locum habet, hic semper succeditur in stirpes.

XIII. Cum filijs legitimis etiam legitimati per subsequens matrimonium & curiæ oblationem (non tamen legitimati per rescriptum principis) concurrunt in allodialibus, secus in feudilibus. §. *naturales tit. si de feudo def. controuv. inter dom. & agn. vassalli.* Ubi incidenter notandum legitimatis per subsequens matrimonium similes esse, qui secundum *auth. si quis C. de naturalibus liberis.* legitimati sunt, Eos enim eadem habere juraquæ legitimi, probat *Novell. 117. cap. 2.* Et primo hoc modo legitimati plenissimum jus habent. Legitimati per curiæ oblationem soli genitori fiunt legitimi, non etiam cæteris patris cognatis, Itaq; soli genitori succedunt, nec ullum participium habent ad adscendentes aut descendentes aut collaterales: *Nov. 89. cap. 4. junctâ l. communium 4. in pr. C. de naturalib. lib.* Minimum omnino jus habent legitimati à Principe, qui tum demum vocantur, quando nulli alij sunt naturales & legitimi. *Novell. 74. cap. 2. in fin. pr. ibi: qui legitimos non habent.* Quod tamen fallere putat Joh. Baptista Lupus *tract. de illeg. & natal. restit. com. 3. §. 1. num. 66.* quando solemniter & plenè sunt à Principe legitimati cum clausula Non obstantibus, ubi sit facta mentio in precibus de legitimæ etiam sobolis existentia, Eo enim casu succedunt patribus

Lo Legiti
maty: N
pa v
ut p
?

Legitimati
succedi
in Feud
vassalli
si quis
C. de na
turalibus
liberis
qui

no in g
no in g

ab intestato æqualiter cum alijs legitimis *Jason. in rubric. ff. de liberis & posthumis n. 11. ad fin. Roland. conf. 67. n. 21. lib. 3.*

XIV. Quid vero dicemus de legitimatis per rescriptum principis non extante legitimâ sobole, si post factam legitimationem pater contrahat matrimonium & ex eo legitimos filios suscipiat? Et cum communi opinione concludemus, quod pariter etiam succedant cum legitime natis, quia enim legitimatio ab initio tenuit non debet ex posteriori eventu tolli, *l. si ut proponis 3. C. de confirmando tutore* cum non sit novum ut, quæ semel utiliter & valide constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerint *l. in ambiguis 85. §. Non est novum 1. ff. de R. J. vide latè Ludovicum Romanum conf. 194. à n. 10. ad fin.* ubi plures alias adfert rationes & ad contraria respondet.

XV. Sed si non sint à Principe plenariè legitimati sed adjectâ clausulas sine præjudicio venientium ab intestato. An tum saltem à defuncti descendantibus, an vero etiam ab ejusdem adscendentibus & collateralibus excludentur? Et putem per hanc clausulam intelligi præservatum jus omnibus cognatis & agnatis, qui ab intestato vocantur, sola uxore & fisco exclusis, quibus non competit successio ordinaria, quæ jure sanguinis defertur: & hanc sententiâ quoq; tenet *Decius conf. 338. n. 4.*

XVI. Filij adoptati ab extraneo vel adscendente, vel etiam adrogati, succedunt ab intestato patribus cum legitimis & naturalibus æquis partibus. Quam adoptivorum filiorum successionem nec Germania in totum ignorat, utpote in qua in viridi adhuc est observantia si non adoptio, tamen quæ adoptionem plurimum sapit, unio prolium, pro cujus etiam validitate aliquoties in Camera pronunciatum fuisse testatur. *Gail. 2. obs. cap. 125. numer. 8.* Hæc vero si quod res est dicere velimus, respectu vitrici est adrogationis species, respectu Novercæ est adoptio quædam, qua mulier adoptat etiam sine Principis indulgentia ex *Novell. Leon. 27. Mejerus in Colleg. Argent. lib. 1. tit. 7. ibi 70.* id quod etiam non obscure ipsum vocabulum Germanicum die *Einfindschaft* arguit.

XVII. Et ex hac unione prolium succedunt vitrico & novercæ, privigni aut privignæ una cû reliquis vel alterutrius, vel utriusq;

triusq; conjugis liberis: Nec enim unio hæc corrui, si ex matrimo-
nio subsecuto nulli suscipiantur liberi, sed firma nihilomi-
nus manet, & liberi prioris matrimonij succedunt ei ab intestato,
cui per unionem liberi facti sunt, quemadmodum *teste Mejero di-
cto loco thes. 69.* est communis opinio.

XIIX. Naturales liberi, si cum illis concurrant naturales
& legitimi, aut defuncti conjunx legitima superfit, nihil præter
alimenta boni viri arbitrato æstimanda ferunt: sin non concu-
rant, nec superfit legitima conjunx iu duabus uncijs cum matre
sua succedunt, & mater accipit virilem sive unius filij partem,
Novell. 89. c. discretis §. 4. 5. & 6. Ubi in §. 4. notari potest, quod
dicitur. *Et alimentum damus eis, & intestatis parentibus defun-
ctis duas paternæ substantiæ uncias &c.* ex quo textu rectè colligit
glossa in *d. Nov. d. c. & §. in verbo uncias*, eos præter duas uncias ali-
menta quoque consequi. Sed quæ ratio cur non extantibus libe-
ris legitimis, legitimâ tantum extantè conjuge, sola ferant alimen-
ta? Et Respondet hic Schneidvvinus, quod etsi conjunx præsertim
dotata, de jure civili viro non succedat, tamen favore & honore,
legitimi matrimonij, noluerit lex viva legitima uxore succedere
filios naturales propter reverentiam honesti matrimonij & ne u-
xor scandalizetur.

XIX. Nec saltem duas uncias habent, si mater vivat: sed & si
mater obierit, *d. cap. discretis §. 4. in fin.* Sed quid si naturales fi-
lij obierint, concubina tamen adhuc sit superstes? Unam saltem
habebit unciam *argumento c. discretis §. 2. in fin. ibi: huic mediam.*
Novell. 89. Sed quid in casu testati de filijs naturalibus dicen-
dum, an si eorum mater jam decessit eis integra uncia re-
linqui potest extantibus etiam legitimis? Dicerem inte-
gram relinqui posse exemplo intestati, ubi etiam matre
prædefuncta, filijs nihilominus competunt duæ integræ, maxime
cum testati causa reguletur secundum causam intestati, *ut tenet Di-
dacus Covarruvias in Epit. lib. 4. Decret. p. 2. c. 8 §. 4. n. 19. contra
Ludovicum de Sardis in tract. legitimat. 3. p. quest. 1.* qui matre mor-
tua ei saltem semiunciam posse relinqui asserbat.

XX. Sed quæ hic de naturalibus liberis ex una concubina
natis tradita sunt, an etiam ad nepotes & pronepotes in successio-

ne ab Intestato pertinebunt? *Negat. Forsterus lib. 6. de successione. ab intestato cap. 10. n. 5.* & quidem per hanc rationem, quia filius legitimus avo aut proavo paterno non succedit; sed patri suo naturali tantum: Sed quia adducta à Forstero ratio pro certo id proponit, quod adhuc dubium esse supra th. II. demonstravimus, tum etiam utcumq; esset verissima & certissima, tamen cum ea filij legitimi filios naturales saltem excludat ab avi successione, nec nos filij naturalis filios legitimos excludemus, *Covarruv. dict. Epit. lib. 4. Decret. cap. 8. §. 4. n. 18* & complures alij quos ibi allegat. *Job Baptista Lup. d. tract. com. 1. §. 2. n. 2.* maxime cum in dubijs æquior & benignior sit amplectenda sententia *l. semper 60. ff. de R. J. & Imperator in Novell. 89. cap. Discretis §. 6.* utramq; viam & subtilitatis & pietatis conjungat.

XXI. Ut vero quis sit naturalis filius & ut naturalis patri succedere possit, requiritur. 1. Ex concubina libera, quam unicam quis domi suæ adfectu concubinæ indubitato habuit, natum cum esse, *Nov. 89. cap. 12. §. Si quis. 4.* 2. Et ex ea natum esse, quæ matrimonio jungi de jure possit, alioquin enim spurij erunt, non naturales, *argumento §. Si adversus. J. de Nuptijs.* De jure ideo addidi, quia si extrinsecus aliquid fiat, vel postmodum causa emergat, ob quam non possit venire ad viam ducentem addotalia, nihilominus dicuntur naturales. *argumento Novell. 74. cap. 2. in pr.*

XXII. Filij naturales matri suæ perinde ac si legitime nati essent succedunt, nec matri saltem, sed & ascendentibus per matrem, *l. si qua illustris in fin. C. ad Senatusc. Orficiam.* ex qua inferunt Schneidvvin etiam illustribus personis naturales filios succedere. *l. 8. ff. unde cognati.* Et adeo succedunt, etiam ex testamento, ut si sint sine justa causa exheredati vel præteriti competat eis querela inofficiosa. *l. 29. §. 1. ff. de Inoffic. testamento. & ibi. Paulus de Castro.* Rationem autem cur matri & linæ maternæ plene succedant, patri vero & linæ paternæ non item, putem posse defumi ex *l. lex natura 24. ff. de statu hominum.* quæ lex, dum dicit, extra matrimonium natos matrem, non patrem sequi, hoc dicit, quod quoad matrem habeantur pro filijs, quoad patrem non item, quia ergo quoad matrem habentur pro filijs recte ex Scto Orficiano matri succedunt, quoad patrem quia non habentur

732

tur pro filijs, imo pro extraneis, jure ab agnatis & cognatis excluduntur, quippe qui civiliter, nec pro cognatis habentur quoad patrem, Matri & ejus consanguineis cognati. (non naturaliter tantum sed & civiliter) fiunt, quia eam sequuntur, ideoq; etiam illi succedunt, Patre ejusve consanguineis nec agnati, nec cognati fiunt, quia eum non sequuntur, ideoq; nec ut tales succedunt.

X XIII. Non tamen succedunt illustri matri in feudis famineis §. *naturales tit. si de feudo def. controu. inter domin. & agn. v. as.*

XXIV. Nunc tandem & de spurijis videamus, quorū duplex est secundum Schneidvv. *hic*, appellatio: Nam 1. Indifferenter & generaliter spurij appellantur, qui extra matrimonium & concubinatum procreantur, sive ex complexu à Jure Civili damnato, sive non damnato, Ita & adulterini & incestuosi dicuntur spuriij à Doctoribus. 2. Specialiter, & tunc tribus modis, aut pro eo, qui ex libera & seruo natus, aut pro eo qui habet quidem patrem certum, sed quem secundum honestatem nominare non possit, aut pro eo, qui natus est extra matrimonium & concubinatum ex soluto & soluta: & hi proprie spurij appellantur. De his tenendum est, Filios spurios non succedere patri, Matri vero succedere & alijs ascendentibus per lineam maternam *l. Modestinus 8. ff. unde Cognati.* Et in hoc differt successio patris à successione matris, utpote cui & vulgo quæsitus potest succedere ut ait *Cephal. conf. 48. n. 22. lib. 1.* etiam cum alijs liberis legitimis & naturalibus, nisi mater sit illustris: tunc enim existentibus liberis legitimis excluduntur à successione spurij, *l. si qua illustris 5. C. ad Sclm Orfician.* ex qua lege argumento à contrario sensu inferunt Dd. quod si nulli sint legitimi, tunc etiam illustri matri succedant. Est tamen cum & non existente legitima sobole nec matre illustri, patre saltem seruo mulieris proprio, nec per se nec per interpositam personam quolibet titulo voluntatis aliquid à matre spurij accipere possunt. *l. unic. C. de mulierib. qua prop. seruo. se mise. Angelus ad d. l. si qua illustris.*

XXV. Ultimo tandem sciendum est, Natos ex damnato coitu patri plane non succedere, imo nec quicquam his alimentorum nomine deberi, *c. si quid autem fin. Nov 74.* Matri tamen eos succedere æque ut spurios multis placet, quippe cum & hi spuriorum appellatione veniant *per l. spurij 6. ff. de decurion. & l. vulgo 23. ff. de statu*

de statu hominum. Jam vero spurij generaliter vocantur ad mater-
nam successionem per l. 2. & 4. ff. unde cognati, §. vulgo quæsitos 4.
Inst. de succession. cognatorum.

XXVI. Plane jure canonico ex uxorato & soluta (ignorante eum alterius uxoris maritum) natus, si postmodum inter eos matrimonium contrahatur, hoc modo legitimatur & ad successionem admittitur etiam paternam, *Johan. Bapt. Lupus tract. de illeg. & natal. restit. com. 4. §. 1. n. 22. & 23. ex cap. Tanta X. qui filij sint legitimi, & ibi glossa in vers. aliam. Didacus Covarruvias in Epitome lib. quarti Decretal. p. 2. c. 8. §. 2. n. 19.*

XXVII. Et secundum has juris Regulas succedunt descendentes ab intestato. Fit tamen quandoq; ut nihilominus excludantur. Id quod fit vel ob crimen proprium vel ob crimen paternum. Etsi enim regulariter ob crimen patris filius non debeat puniri l. crimen. 26. ff. de pœnis. Excipiuntur tamen quedam atrocissima crimina. 1. Crimen Læsæ Majestatis. 2. Crimen hæreseos: de prioribus est l. quisquis C. ad l. Jul. Majest. De posteriore est *autb. Gazaros in l. 19. C. de Hereticis, quam Rittersb. p. 7. cap. 9. defumptam putat ex constitutione Friderici II. Imperatoris, cap. accusatus 8. vers. in eo. pen. X. de hæret. in sexto.*

XXVIII. Ob crimen etiam proprium excluduntur descendentes, idq; vel in eum, cui succedunt, vel in alium commissum. Ob crimen in eum commissum cui succedere volunt, si testamenti factionem ab intestato alioquin successuri, impedierint l. 2. C. si quis aliquem testari prohib.

XXIX. An etiam ob aliam justam exheredationis causam, quemadmodum ob impeditam testamenti factionem, successores ab intestato successione privabuntur? Ita putat *Rittersb. p. 7. c. 9. n. 2. ex Oldend. in Epitome success. ab intest. n. 39.* quod tamen non de omnibus promiscue dicendum putem.

XXX. Ob crimen proprium non in defunctum commissum excluduntur, si ex eo damnati sint, ex quo deportatio infligitur. Cum enim deportatus ne quidem ex testamento succedere possit l. 1. C. de heredib. inst. multo minus ab intestato.

XXXI. Excluduntur etiam ob ingressum in religionem, quæ profiteatur votum perpetuæ paupertatis, qualis est ordo Franciscanorum Cistercensium & aliorum mendicantium: de quibus vide
c. unic.

783
e. unic. de religiosis domibus in 6. c. exijt qui seminat. 3. X. de verborum
signif. in sexto.

XXVII. Reliqui Regulares, tam Monachi quam Canonici,
recte una cum alijs ad successionem vocantur. l. Deo nobis 56. §. hoc
etiam cognitum. C. de Episc. & Cleric.

XXVIII. Denique excluduntur etiam ob renunciationem
juratā, quæ hodie maxime inter nobiles recepta est: quando Puellæ
Nobiles cum elocantur in matrimonium & dotantur, jurant se
dote sua velle contentas vivere, & sic renunciant successioni pa-
ternæ.

XXIX. In secundo ordine totidem constituenda sunt ge-
nera parentum, quot in primo filiorum constituimus. Atq; ut
à parentibus legitimis & naturalibus ordiamur.

XXXV. Pater & mater, si ambo supersunt & soli extant, nul-
lis extantibus descendens neq; fratribus aut sororibus utrinq;
junctis aut horum liberis, pariter & æqualiter filio succedunt, ex-
clusis omnibus adscendentibus ulterioris gradus & collateralibus,
etiam fratribus ex uno latere tantum venientibus. Nec hic ma-
tri pater præfertur, *Auth. Defuncto C. ad Scm Tertull. Novell. 118.*
cap. 2.

XXXVI. Et hoc, ut æqualiter succedant, planum est in filijs
qui non sunt in potestate: In filijs vero, qui sunt in potestate, æ-
què planum est quoad bona castrensia vel quasi castrensia. Quæ
vero sunt profectitia, in illis Dd. volunt, quod pater excludat ma-
trem: Eorum enim vivente etiam filio dominus pleno jure fuit
pater, adeo ut & proprios liberos defuncti in his rebus excludat.
avus: *Novell. 118. cap. 1.* Ubi diserte illa bona excipiuntur, quæ pa-
tribus acquiruntur, quod in his scilicet nepotes non succedant.
Antho. de Rosell. tract. de success. ab intest. n. 54.

XXXVII. In bonis porro adventitijs pater & mater etiam
æqualiter succedunt, nulla distinctione factā, utrum ea ab amicis
paternæ an maternæ lineæ obvenerint filio; hoc solum obser-
vando, ut pater nihilo retineat minus usum fructum in parte ma-
tri quæsitā, ut tradunt Dd. per l. 3. C. de bonis quæ liberis. & l. ult. §. 1.
vers. sin autem defuncta C. ad Scm Tertull. in quibus singulis usus-
fructus

B

fructus semel in persona patris radicans, morte proprietarij non tollitur.

XXXVIII. Si plures sint adscendentes gradu dispares, proximior in gradu remotiorem excludit. Hinc si filius moriatur relicto patre & avo materno, pater avum maternum excludit, etiam in bonis, quæ à materna linea ei obvenerunt: Et contra si matrem & avum paternum relinquat, mater sola succedit etiã in bonis paternis. Reprobata enim est opinio Jacobi Butrigarij, qui putabat, æquè ut in linea descendenti, ita & in adscendente locum esse juri repræsentationis, & recepta eorum qui statuerunt, jus repræsentationis non habere locum in linea adscendenti. *Auth. Defuncto C. ad Sctm Terryll. ibi: salva gradus sui prerogativa, & Novell. 118. cap. 2.*

XXXIX. Quid, si quis decedat relicto avo paterno & matre, fueritq; defunctus in potestate? Putem Avum paternum, profectitia pleno jure habiturum, reliquorum vero usumfructum, reservata matri proprietate.

XL. Si adscendentes sint paris gradus, pariter succedunt, paternis quidem dimidiã, maternis altera dimidiã delata, licet dispar sit eorum numerus. *d. Auth. Defuncto C. ad Sctm. Terryll. ibi. licet dispar eorum sit numerus.* Si quis ergo decedat relicto avo paterno, & avo & avia materna, dimidiam habebit avus & avia materna, & alteram dimidiam avus paternus.

XLI. Si adscendentes non sint soli, sed cum illis fratres vel sorores defuncto utrinq; eonjuncti concurrant, successio fit in capita sive in personas, & singuli singulas & æquales portiones ferunt, nullã attenta differentia sexus vel patriæ potestatis *auth. defuncto C. ad Sctm Terryll.*

XLII. Quid si defunctus relinquat fratrem & avum aviamq; paternam & aviam maternam, Num in capita an vero in stirpes fiet successio? Putem in capita eam fieri debere *per Novell. 118. cap. 2.*

XLIII. Quin & si filij fratrum cum adscendentibus concurrant soli, nullis extantibus fratribus, nihilominus succedent adscendentes in capita, *Oliverius Textor num. 77. in fin. tract. de success. ab intestato. quanquam dissentiat Eorsterus lib. 7. cap. 7. in fin. quem etiam.*

etiam ideo in hac questione Rittershusius super Novell. p. 7. cap. 10. n. 17.
dicit singularem.

XLIV. Si cum adscendentibus concurrant & fratrum utrinque conjunctorum filij, & defuncti fratres, tunc defuncti fratrum filij non excluduntur, sed tantum capiunt, quantum ipsorum pater si viveret cepisset.

XLV. Et hoc indubium est. Sed quid si adscendentes tantum & nulli fratres, sed tantum ex prædefunctis fratribus liberi relictæ sint, Nunquid hoc casu hi fratrum filij una cum adscendentibus succedent? Et communis opinio est quod succedant, quanquam Cujac. in explicatione Novell. 118. sub finem secutus Albericum de Rosate in auth. defuncto vers. item dicit glossa, &c. putet de jure verius esse quod non succedant.

XLVI. Legitimatæ filijs adscendentes perinde succedunt ut legitimis, exceptis ijs qui per curiæ oblationem sunt legitimati, In his enim duo sunt specialia. 1. Si pater ejus non est decurio, curiæ debetur dodrans bonorum, & in reliquis tribus uncias venient parentes Novell. 89. cap. 5. 2. Hoc modo legitimatis non succedunt alij agnati per patrem, quia hi soli genitori legitimi fiunt d. Nov. 89. cap. 4. Unde fit ut hoc modo legitimato decedente, si pater mortuus sit & mater, adscendentes materni excludant paternos.

XLVII. Pater adoptivo filio non succedit, nisi ipse ex numero adscendentium sit. Adrogans succedit, nisi adrogatus moriatur impubes, tunc enim præferuntur agnati. §. cum autem Inst. de Adopt.

XLIX. Pater naturalis tantum, filio suo filios naturales & legitimos habenti, vel etiam uxorem post se relinquenti non succedit, sed illis deficientibus duas uncias consequitur. Auth. licet C. de natural. liber. Et ita quidem communiter Dd. Sed putem illud quod de uxore legitima non relinquenda dicitur, esse potius Dd. traditum quam Imperatoris, Neque enim ex ijs verbis, Parem præsent, &c. hoc concludi potest: Plane enim diversa est ratio, cur legitima existente conjuge patri naturali non possint succedere filij nati citra legitimum matrimonium, hæc scilicet, ne uxor scandalizetur. Talis ratio aut similis nulla est in casu contrario, ubi de filij naturalis successione quæritur, Ibi, in venerationem legitimi ma-

1007
trimonij, quoad ejus memoria in superflite conjuge vigeat, ex co-
itu minus legitimo nati non poterant succedere, Hic nullus talis
familisve respectus.

XLIX. Denique Mater si sola sit, filio naturali sine liberis
decedenti in totum succedit, Sin pater naturalis & mater concu-
rant, pater duas uncias sive sextantem, reliquum dextantem ma-
ter capit: argumento *Novell 89. c. 12. & à contrario sensu. Gothm. &
Schneidv. super Inst. h. t.*

L. Quid verò si Mater fratres & Pater naturalis con-
currant? Adhuc putant Dd. *in auth. Defuncto* patrem sextantem,
matrem & fratres dextantem capere. Quod nescio an per omnia
probari possit, Pone enim Titius habuit Sejam concubinam, nati
sunt in concubinaru sex liberi, Sextus moritur: Hac ratione mater
& singuli fratrum minus ferrent, quam pater: nec enim integrum
sextantem unusquisq; eorum haberet. Putem ergo hoc casu ad
minimum Patrem saltem virilem capere debere *argumento Novell.
117. cap. 5.*

L.I. Et hoc quidem modò succedunt adscendentes nisi se
forte indignos fecerint successione in totum, vel aliquatenus: Et ve-
rò in totum se faciunt indignos parentes, qui ne testamentum
ordinaretur impedimento fuerunt, nec tantum parentes, sed & o-
mnes omnino ab intestato successuri *l. 2. C. si quis aliquem testari
prohibuerit.*

L.II. In totum porro se indignam facit successione libero-
rum in pupillari ætate mortuorum mater 25. annis major, & avia,
si ijs de tutela non prospexerit intra justa tempora, puta si intra
annum integrum à morte patris numerandum, tutorem eis petere
neglexerit secundum legem, Id quod non solum ad matrem sed
ad omnes alios ab intestato, imo vel ex substitutione successuros
pertinet *l. sciant 10. C. de legit. heredib. §. sed quemadmodum 6. Inst.
de Scto Tertyll. l. 2. §. 1. ff. qui petant tutores.* Aut si non postula-
verit decreto confirmari, quos pater non legitime testamento vel
codicillis filijs impuberibus tutores dedit. *l. credendum 4. ff. qui
petant tutores.* Aut in locum rectorum, aut excusatorum simili-
ter intra annum alios dari non postulaverit. *d. §. 6. Inst. de Scto Ter-
tyll.*

785
tyll. Aut si puritatis gratia petierit eum qui dimitti poterat, & in dimissi locum, studio malum aut indignum petierit. *d. l. 2. §. 1. ff. qui petant. tutores.* Aut denique si mater post legitimam liberorum tutelam susceptam, ad secundas adspiraverit nuptias, antequam eis tutorem alium fecerit ordinari, eique, quod debetur ex ratione gesta tutelæ, persolverit. *l. omnem 6. C. ad S&tm Terryll.*

L III. Idem est si mater curatores non petierit ijs casibus, quibus impuberibus curatores dandi sunt. *l. 2. §. quid si 29. ff. ad S&tm Terryll.* Aut liberis etiam puberibus furiosis curatores dari non postulaverit. *d. l. 2. §. quid si 31. ff. ad S&tm Terryll.* Aut si cum ventris nomine in possessionem mittitur ventri itemq; bonis curatores non petierit. *d. l. 2. §. 30. ff. ad S&tm Terryll.*

L IV. Excusabitur tamen mater tutores non petens, si ex re & commodo pupilli sit non peti, forte quod solvendo non sit. *d. l. 2. §. 45. ff. ad S&tm Terryll.* vel quia ei amplum legatum erat relictum, si tutores non habuerit, & plus sit in legato quam in damno. *d. l. 2. §. 44.*

L V. In totum etiam se indignam facit successione filij, mater secundo nubens intra annum luctus: *Novell. 22. cap. 22. in pr. & §. 1. ibi* neque usum retineat.

L VI. Aliquatenus indignam se facit mulier secundo nubens, in ijs enim bonis quæ defuncto filio, de cujus successione quæritur, à patre obvenerunt, si fratres sororesve utrinque juncti super sint, aut horum liberi, pleno jure non succedit ab intestato, sed eorum bonorum quantum pro sua portione capit, ejus proprietatem fratribus & sororibus defuncti eorūve filijs filiabusve servat, idq; sive ante, sive post mortē illius de cujus successione quæritur, renupsit: non inquam pleno jure in his bonis ab intestato succedit, secus enim est, si testamēto facto, tunc enim pleno jure capit, non attendita Angeli & Sichardi *ad Auth. ex testamento C. de secund. nupt. n. 2.* distinctionē, testamentumne factum sit ab eo qui scivit matrem renupsisse, an ab eo qui ignoravit. Secus item in alijs bonis, quæ à patre in filium non sunt profecta, sed ab ipso filio acquisita, Ea enim pleno proprietatis jure capit.

L VII. Quod dictum est de matre secundo nubente, ut usum fructum saltem habeat in bonis filij, quæ à patre obvenerunt an

idem obtinebit in patre? Putat *Valentinus Forsterus lib. 7. cap. 11. quod sic.* Sed nulla est lex aliquid tale dicens *Nov. 2. cap. 3. in pr. ibi.* Sicut enim patres &c. Ideoque nec ego id ausim dicere, veriusque esse de jure putem, patrem filio suo pleno jure succedere.

L VIII. Plane in lucris nuptialibus, par est tam patris quam matris conditio, ut horum proprietas filijs prioris matrimonij seruetur, retento ad dies vitæ usufructu. Quod si nulli fratres fratrumq; aut sororum filii ex priore matrimonio supersunt, tunc pleno jure habebit etiam lucra nuptialia, dum tamen nec intra annum luctus mater renupserit *d. Nov. 22. cap. 23.*

L IX. Illud à *Bolognino in notis ad Matthæjll.* disputari scio, Si omnes filii prioris matrimonij moriantur vivente matre, & forte ultimus instituit extraneum heredem, & matri reliquit solum legitimam, an nuda proprietas bonorum mariti, qua erat privata mater per transitum ad secunda vota ante mortem filij, morte filij postea insecutâ, revertatur ipso jure ad ipsam matrem? Et putem cum *Matthæjll. tract. de success. ab intest. art. 2. memb. 1. n. 22.* quod sic.

L X. An quod dictum de pænis matris aut patris secundo nubentis, rectè etiam ad avum aviamq; extenderetur? Putem quod sic.

L XI. Et quod de secundo nubente matre dictum, idem obtinet, si nō quidem secundo nubat, sed impudicè vivat, uti concludit ex *Dd. Gail. 2. observ. 98. num. 15. per l. bis solis in fin. C. de revocand. donat.*

L XII. Quod si à marito prædefuncto Ususfructus sit relictus numquid per transitum ad secunda vota eum amittet? Resp. Olim quidem amisisse, Hodie non item, nisi ea lege relictus fuerit, ut ex secundis nuptiis interiret, *Auth. Hoc locum. C. l. unic. C. si secundo nupserit mulier cui maritus usumf. reliq.*

L XIII. Videndum jam porro est de tertio succedendi ordine, qui est collateralium, in quo primum locum merito obtinent Fratres. Hi autem sunt vel Germani, vel consanguinei, vel uterini, & qui tales putantur propter legitimationem, vel legitimi, vel naturales, vel deniq; spurij.

Primo

286

LXIV. Primo ergo Fratres germani, nullis supersticibus vel descenditibus vel ascenditibus, soli vocantur, exclusis fratribus alijs, qui per alterutrum demum parentem sunt conjuncti, sive illi sint consanguinei, sive uterini, Etsi enim prisco jure consanguinei eodem cum germanis jure censerentur, eo quod agnati essent, id tamen Justinianus in *Nov. 84. cap. 1. in fin.* sustulit & constituit ut duplici utentes jure excludant eos, qui uno solo uti possunt.

LXV. Non tamen Fratres germani, ut fratres *ἐτεροθαλῆς* excludunt, ita fratrum germanorum prædefunctorum filios, nam in his locum habet jus repræsentationis, quod tamen in hoc ordine nequaquam ultra fratrum filios extenditur *Nov. 118. cap. 3.*

LXVI. Et quidem tanti roboris est hoc casu in fratrum filijs repræsentatio, ut per eam excludantur fratres defuncti consanguinei & uterini, *Auth. cessante Cod. de leg. hered.* Itemque defuncti Thij, id est, avunculi & patru defuncti *Novell. 118. cap. 3. in fin. principij.*

LXVII. Quid vero si soli supersint fratrum filij, quomodo fiet successio, num in capita an in stirpes? Et sopita jam est Dd. anteriorum temporum altercatio, & probata Azonis sententia, eos debere succedere in capita & non in stirpes, quam sententiam, etiam de jure digestorum verioreni fuisse pluribus evincit *Rittershus. in exposit. Novell. p. 7. cap. 14. n. 3. per l. 1. §. ult. ff. si pars hereditat. petatur l. 2. §. 2. ff. de suis & leg. hered. §. si plures Inst. de leg. agnat. succession. Gajum lib. 2. fragm. instit. tit. 8. §. regulariter.*

LXVIII. Quod si defunctus, præter fratrum utrinque junctorum filios, etiam fratres, sed ex altero tantum parente sibi copulatos reliquerit, vel etiam reliquerit patruum, amitam, avunculum, materteram, saltem his casibus, etiam inter se, filij præmortuorum fratrum in stirpes succedent. *Anthou. de Rosellis. de success. ab intest. n. 116.*

LXIX. Si filij fratrum concurrant cum nepotibus fratrum, tunc illi hos excludunt, etiam si filius sit ejus fratris, qui una tantum parte contingebat defunctum, & nepos sit ex fratre utrinque juncto. Distinctio enim illa an uno, an duplici vinculo sint conjuncti defuncto, ultra fratres fratrumque filios non attenditur, quem
admo-

admodum nec in adscendentibus locum habet, v. g. si concurrant duo patrui, quorum unus defuncti parentis frater germanus, alter consanguineus fuerat, non attento, duplex hoc sit an simplex vinculum, æquales fiunt partes, *monente Ritterb p. 7. c. 13. n. 16.*

LXX. Non extantibus fratribus & sororibus horumque liberis, secundo loco ad defuncti successionem vocantur fratres & sorores ex uno tantum parente conjuncti, sive per patrem solum, sive per matrem *d. Nov. 118. c. 3. vers. His autem non existentibus.*

LXXI. Cum quibus si concurrant fratrum sororumve similiter ex uno latere junctorum filij, & ipsi eam capient partem quam pater ipsorum cepisset si supervixisset. *p. d. Novell. 118. cap. 3. vers. s̄ autem.*

LXXII. Hic jam quæri solet, Defunctus reliquit fratrem consanguineum, reliquit item fratrem uterinum, quomodo hereditas defuncti sit dividenda? Et communiter putant, materna & quæcumq; à linea materna ei obvenerunt, uterinis, paterna & quæ à paterna linea obvenerunt, cōsanguineis, & reliqua quæ supersunt, æqualiter inter utrosq; esse dividenda, unde vulgaris versiculus:

Maternis cedant materna, paterna paternis.

Sunt tamen qui contrariam opinionem de jure putent veriores, quibus & ego subscriberem, quanquam non negem ab altera ut à communiter recepta, nec ab æquitate aliena, in judicando non esse recedendum.

LXXIII. Hanc communem tamen distinctionem limitant non procedere, 1. Ultra fratrum filios, nec in adscendenti collateraliter locum habere *Bolognin. in addit. ad Matthæsyll. art. 3. m. 1. n. 18.* 2. paterna non esse æstimanda alia, quam quæ à patre, aut ab alio in recta linea adscendente paterno obvenerunt, non quæ ab agnato quodam collateraliter, Idemque de maternis ferunt judicium. *Matthæsyll. d. art. 3. m. 1. n. 22. & consentit. Ludovic. Bologninus ibidem.*

LXXIV. Quæ de fratribus legitimis & naturalibus dicta sunt, eadem obtinent etiam in fratribus legitimatis eorumq; filijs, ut nempe idem jus habeant ad excludendos remotiores agnatos, aut thios defuncti, solis exceptis legitimatis per oblationem curiæ, quia enim hæc legitimatio tantum jus sunitatis, non jus agnationis tribuit, & hoc modo legitimati soli patri, non etiam parentibus

107
tibus aut liberis ejus agnascuntur, manifestum est, nec eos ad successionem defunctorum fratrum hoc modo admitti posse. *Nov. 89. cap. 4. ibi descendentes.*

LXXV. Distinctio tamen æque adhibenda est inter legitimos utroq; latere junctos & alterutro tantum.

LXXVI. Quid de legitimatis per rescriptum Principis, An illi succedant fratribus quæritur? & putat *Schneidv. in Inst. b. t. sub tertio ordine n. 36.* quod non, & quod eodem debeant haberi loco cum legitimatis per oblationem curiæ. Sed dubito an recte, quippe cum Imperator dicat eos in nullo differre ab illis qui ex justis nuptijs progeniti sunt. *Nov. 74. cap. 2. in pr. & Nov. 89. cap. illud 9. §. 1 Forster. de success. ab Inst. lib. 8. cap. 10. n. 8.*

LXXVII. Legitimi fratres tantum, succedunt, siquidem tales sint facti per adrogationem, vel adoptionem ab ascendente factam, nec tamen aliter succedunt quam fratres consanguinei.

LXXVIII. Idem etiam in ulterioribus agnatis obtinet, ut quoties agnationis jura per adoptionem quærentur, adquirantur pariter quoq; mutux successioneis jura.

LXXIX. Fratres naturales inter se indistincte ad successionem admitti, siue sint consanguinei, siue uterini, putat *Oldend. in Epit. success. ab intest. n. 28.* quem eo nomine reprehendit *Rittersh. in Nov. p. 7. c. 15 n. 2.* cujus etiam opinio ut communior est recepta, Quod si utroq; modo defuncto juncti sunt, hi consanguineis tantum, & uterinis tantum, rectè præferuntur, *Matthæf. d. art. 3. prin. m. 2. n. 12. §. tertio & c. & ibi Bologninus n. 13. in fin. Oliverius Textor n. 89. §. Et hoc modo.*

LXXX. Spurij fratres per matrem conjuncti, etiam inter se succedunt, imo etiam fratribus alijs legitimis rectè succedunt, nulla attentata distinctione, mater fuerit illustis nec ne. *Bologn. ad Matthæfyll. n. 10. m. 2. art. 3. pr.* de quo tamen non sine ratione subdubitandum putem.

LXXXI. Sed qui ex damnato coitu nati, an hi etiam sibi invicem succedent, & num etiam alijs fratribus uterinis, & à materna linea cognatis? Et variè pro & contra disputatur, Ego Prius, nempe eos sibi invicem succedere affirmarem, Posterius, etiam legitimis fratribus uterinis eos succedere, negarem.

C

Quod

137
LXXXII. Quod si neq; fratres, neq; filios fratrum defunctus reliquerit, omnes deinceps à latere cognatos ad hereditatem vocamus, secundum uniuscujusque gradus prærogativam, ut viciniore gradu reliquis præponantur, si autem plurimi ejusdem gradus inveniantur, secundum personarum numerum inter eos hereditas dividatur, quod in capita nostræ leges appellant. *d. Novell. 118. c. 3. §. fin.* Et successio nullo certo gradu continetur. *§. Caterum 3. Inst. de leg. agnat. success.*

LXXXIII. Tandem jam nunc de Viri & Uxoris successione mutua dispiciamus, & quidem hodie ex Justiniani constitutione, *Nov. 117. cap. 5.* Mulier indotata marito suo succedit, etiam extantibus filiis legitimis, in quartam universæ hereditatis, si liberi tres aut minus sint, aut in virilem, si plures sint, Plane si liberi qui sunt, ex alio sint matrimonio prognati, ipsa has res, quas ex viri facultatibus per hanc successione percipit, etiam dominij jure habebit, si ex ea ipsa nati sint, proprietatem suæ portionis filiis servare tenetur *d. Nov. 117. cap. 5.* Et quod dictum de proprietate servanda filiis, idem etiam de nepotibus obtinebit *argumento l. 3. §. 1. vers. Quod si nullam. C. de secundis nupt.* Ut merito cum Bolognino *n. 18 in suis addit.* Matthæsyllanum mirer quod contrarium statuat *in tract. de succ. ab intest. art. 4. n. 17.* In eo Matthæsyllano contra communem consentio, quod licet cognati sint numero plures quam tres, mater debeat nihilominus habere quartam, quippe cum instar legitimæ quodammodo sit, adeò, ut etiam ex testamento eam deberi, ex Baldo & Saliceto asserat Bologninus. *in add. ad Matthæf art. 4. n. 7.*

LXXXIV. Quod de muliere inope dictum est, idem quoque in marito obtinet, si ex defuncta uxore liberos nullos habeat in potestate. *Nov. 53. cap. fin.*

LXXXV. Est & alius legibus proditus casus, quo maritus superstes similiter cum liberis admittitur: etenim *ex l. 3. C. de bonis matern.* maritus qui viva uxore filios emancipavit, ea deinde mortua, cum liberis defunctæ, ad successione ejus vocatur in portionem ususfructus virilem.

LXXXVI. Quando vero neuter conjugum pauper est, tum deficiente omni, parentum, liberorum, seu propinquorum legitima
vel

788

vel naturali successione, conjuges sibi invicem succedunt, excluso
fisco *l. 1. § unic. C. Unde Vir & Uxor.* Id quod etiam à Dd. ad
sponsam sponsamq; de præsentì extenditur, & rectè, quippe cum
hæc sponsalia aut nihil, aut parum à veris nuptijs absint, quas non
concubitus, sed consensus facit, non defloratio virginitatis, sed
pactio conjugalis, & cum initiatur, conjugij nomen adsciscitur,
non cum puella viri admixtione cognoscitur. *can. cum initiatur 27.*
quæst. 2. argumento l. 6 ff. de Ritu nuptiar. quanquam, de jure
Saxonum, ingressus thori maritalis requiratur. *Wesemb. in parat. de*
sponsal n. 7.

LXXXVII. Ut vero hæc successio procedat, requiritur, 1. Ut
omnis cognatio omnis parentela deficiat *d. l. 1. C. unde vir & uxor.*
2. Ut matrimonium fuerit justum & legitimum secundum leges
initum *l. qui contra 4. C. de incest. nupt.* 3. Ut matrimonium adhuc
eo tempore, quo alter conjugum decessit, constiterit, nec divor-
tium secutum sit, & nequidem inutile divortium, quanquam enim
duret matrimonium, nec inutili divortio solvatur, denegatur.
nihilominus hæc successio. *l. unic. § 1. ff. Unde Vir & Ux.* 4. Ut con-
jux succedere volens, defuncto conjugi mortem non intulerit,
sive manus scelestas inferendo, sive medicum ægrotanti, cum pos-
set, non accersendo, sive malum imperitumq; bona cum scientia
adhibendo, *argumento l. si ab hostibus 10. §. si vir ff. soluto matrimon.*
glossa ibidem & Antonius de Rosellis n. 177. tract. de success. ab intestato.
sive etiam ægrum eum tempore pestis deferendo. *Heig. in Inst. ad*
rit. de Bonor. poss. n. 38. & 39. quas ampliaciones probant *ex l. Indi-*
gnum 3. ff. de his que ut indignis, & l. necare ff. de adgnos. & alend.
lib. Et quod dictum est, manus impias inferentem, privari suc-
cessione ejus cui intulit, verum est, etsi in adulterio deprehensam
maritus occiderit, id enim ei non licet, quamvis patri liceat. *l. 22. §.*
4 ff. ad L. Juliam de Adult. 5. requiritur, Ut conjux, marito vo-
lens succedere, eum eluxerit *l. 1. & 2 C. de secundis nupt.*

LXXXVIII. Quod si vir, sine legitima causa, uxorem domo
ejecit, vel eandem deseruit, aut justam causam divortij eidem præ-
buit, tunc successione quidem cessat compendium, *argumento d. l.*
unic. § 1. ff. Unde Vir & Uxor. maritus autem poenæ temerariorum
divortiorum subiacebit, & quartam partem substantiæ mariti

287

(nisi substantia ejus quadringentas auri libras superet, quo casu, centum tantum auri libras damni ficabitur) habebit uxor *per Novell. 22 cap. 18.*

LXXXIX. An mulieri, collegium decurionum, naviculariorum, cohortalium, militum, fabricensium, &c. præponi debeat, quærunonnulli; Et putem mulierem præferendam omnino, quippe cum hæc collegia non aliter vocentur, quam cum collega, sine successore quolibet, ultimum diem obierit. *l. 1. § 3. C. de hered. decurion* Jam vero verbum successoris, etiam ad eos pertinet, qui jure honorario succedunt. *l. 1. in fin. ff. de munerib. & honor. l. sed & ejus 24. §. 1. ff. Familia herciscund. l. si sine 9. §. illud 6. ff. de interrog. in jud. faciend.*

XC. Nec fuit hæc Viri & Uxoris successio ignota priscis Romanorum legibus, quibus Uxor, quæ in manum viri venerat per coemptionem (quæ sola materfamilias dicebatur, non etiam quæ farre & usu *Tiraquell in 4. leg. connub. n. 6.*) Viro filia instar erat, & succedebat uoa cum suis, hæc enim coemptio erat quasi quædam adoptionis species.

XCI. Plane, nullis extantibus heredibus, successor in bonis vacantibus est fiscus. Et tantum de successione ab intestato.

DEO OPT. MAX. SIT
LAUS ET GLORIA.



tibus aut liberis eius agnascuntur, manifestam
cessionem defunctorum fratrum hoc modo
cap. 4. ibi descendentes.

LXXV. Distinctio tamen æque ad
motos utroq; latere junctos & alterutro tan

LXXVI. Quid de legitimatis per res
illi succedant fratribus quæritur? & putat S
tertio ordine n. 36. quod non, & quod eode
cum legitimatis per oblationem curiæ. Se
pe cum Imperator dicat eos in nullo diff
nuptijs progeniti sunt. *Nov. 74. cap. 2. in pr
§. 1 Forster. de success. ab Inst. lib. 8. cap. 10. n*

LXXVII. Legitimi fratres tantum,
les sint facti per adrogationem, vel adopti
factam, nec tamen aliter succedunt quam


LXXVIII. Idem etiam in ulteriorib
quoties agnationis jura per adoptionem qu
pariter quoq; mutua successione jura.

LXXIX. Fratres naturales inter se
nem admitti, siue sint consanguinei, siue ut
Epit. success. ab intest. n. 28. quem eo nomine
in Nov. p. 7. c. 15 n. 2. cujus etiam opinio ut
Quod si utroq; modo defuncto juncti sunt
tum, & uterinis tantum, rectè præferuntur,
*m. 2. n. 12. §. tertio & c. ibi Bologninus n. 13.
n. 89. §. Et hoc modo.*

LXXX. Spurij fratres per matrem
se succedunt, imo etiam fratribus alijs legiti
nulla attentata distinctione, mater fuerit illu
Matthæjll. n. 10. m. 2. art. 3. pr. de quo tan
subdubitandum putem.

LXXXI. Sed qui ex damnato coitu n
vicem succedent, & num etiam alijs fratrib
na linea cognatis? Et variè pro & contra
nempe eos sibi invicem succedere affirmare
gitimis fratribus uterinis eos succedere, neg

C



ad suc
Nov 89.
ter legiti
ripis, An
b. r. sub
beri loco
cte, quip
ex justis
p. illud 9.
idem ta
ndente
guinei.
net, ut
uirantur
successio
end. in
Rittersh.
recepta,
neis tan
t. 3. prin.
na Textor
am inter
edunt,
ologn. ad
atione
sibi in
a mater
o Prius,
etiam le
Quod